



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Elesbaan Conf. 27. Octob.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. ELESBAAN CONF. 27. Octob.

**N**on erubescant reges in regem ELES-  
 BAANUM intueri, & ex ejus vultu,  
 Æthiopsis licet, mores tamen suos com-  
 ponere. Bellum illi grave erat cum rege  
 altero Dunaanum Iudaicæ superstitione  
 addicto. Causæ & Deo fidens, purpu-  
 ram quidem pugnaturus exiit, cæterum  
 ingentes animos induit: quos majores  
 etiam Anachoretas nescio quis illi fecit,  
 cum, ut sibi DD. Martyrum præsidia  
 (optimas utique auxiliares copias) accer-  
 feret, persuasit. His fretus cum in aciem  
 descendisset, etsi initio laborare hæc vide-  
 retur, pugnam tamen ad extremum vicit,  
 auspiciatissimo D. Gabrielis nomine ve-  
 lut militari tesserâ tertium in aëre con-  
 clamato. Ad hæc Superi Dunaanum ho-  
 stem ita deludere, ut veluti fascinatius ca-  
 tenâ auerit, & se & amicos illigatos ve-  
 nienti *Elesbaano* objiceret: quos quidem  
 victoriæ hic: sacrificaturus eodem ferro  
 omnes immolavit. Sed nunc triumphum  
 spectat Lector. Hunc ecce, triumphali co-  
 ronâ Hierosolymanâ missâ, *Elesbaanus*  
 faccum non togam palmatam indutus, &  
 solus obscurâ nocte in montem proxi-  
 mum ducit; casam, non Capitolium su-  
 bit; vota victor vovet nunquam inde e-  
 grediendi; jamque triumphales epulas pa-  
 ne nudo, herbis ac fontanâ continuat, nul-  
 li hominû visus, nisi sibi & Superis notus.

Nihil hæc ad meos triumphos, ait Romulus. Sed sic triumphanti cælum applausit. *Ex Metaphr.*

*Laqueus est in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clarus est in amore. Dum aurum petimus, strangulamur; dum argentum querimus, in visco ejus hæremus; dum prædium invadimus, alligamur; quin etiam mulieris decus dum tentat, astringit.* Ambros. de Bono mortis cap. 5.

SS. SIMON, & JUDAS APOSTOLI.

28. Octobris.

**U**bi primùm debellandum sibi orbem Apostoli sumpserunt, aliis aliò momentibus, SIMON in Ægyptum, JUDAS vero *Thaddæus* frater SIMONIS in Mesopotamiam expeditionem adornavit. Subactis iis provinciis, in Perside copias junxerunt, missâque iterum sub jugum Christi innumerâ multitudine, demùm uno eodemque tempore de morte ambo fratres triumpharunt. quod spectaculum ne Romæ quidem toties triumphanti obtingit: Porro JUDAS dudum antè regem Edeesse adiit Abagarum (is est qui olim Christum, cùm in vivis adhuc ageret, per amicas literos in regni societatem evocavit) telam ferens, in quâ vultum sui quàm simillimum Servator expresserat: munus profecto etsi ipsum artificem suum non referret, ab artificis certè manu quàm maximè commendandum. Hoc ubi cubiculo decumbentis regis fuit illarum, locum